



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 135. Halberstadiensium Protestantium tumultus adversus Catholicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

§. CXXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

Halberstadiensium Protestantium tumultus adversus Catholicos.

Sub idem tempus Halberstadii Protestantes illius districtus comitia tum ob Juliaceses ditiones, tum ob Brunvicensium Ducem, urbemque celebrabant; præcipue vero ibidem agebatur de Halberstadiensi Episcopatu, quem Protestantes non modo sua secta infece- rant, sed etiam, ut deinceps omnes Canonicos Religione Catholicos ab eo excluderent, antiquata veteri jurisjurandi forma novam induxere, facta hanc in rem lege, quod omnes, qui deinceps ad hujus Ecclesiæ Collegium recipiendi essent, interposita juramenti fide Pontificis auctoritatem detestari, atque abjurata fide Catholica Lutheranam profiteri tenerentur: id quoque sæpius adhibita etiam vi a Catholicis exigebant: quapropter Episcopus, qui tum Pragæ apud Cæsarem agebat, sæpius adversus impias hæc novitates reclamabat, incassum tamen, prævalente potentia Protestantium, qui homines liberos ad fidem nec bonorum spoliatione cogendos esse, duntaxat pro Evangelica doctrina venditant, dum id e re sua esse censent. Tandem etiam

Annal. Boic.
tom. 3. p. 3.
lib. 2.
Carafa
comm. Germa.
Sacr. p. 48.

Sæc. XVII. hic Episcopatus, qui antea Leopoldo
 A. C. 1610. Friderici II. Filio per pacem Pragensem
 erat traditus, Brandenburgico Electori
 in compensationem, pactis Westphalicae pacis, adjudicabatur.

§. CXXXVI.

*Petrus Victoria Palma Cayet
 mortuus.*

*Dupin.
 nouv. Bibl.
 Script. Ec-
 cles. Siecl.
 XVII.*

Ad hunc annum Dupinus in sua Bibliotheca refert obitum Petri Victoriae Palmæ, qui quamdiu Calvinianæ sectæ addictus erat, pro more illius ævi mutato nomine se Cayet, Cahier, seu Carjetanum appellabat. Hic Montichardix in Turonia Calvinistis Parentibus natus, cujusdam Turonensis Nobilis subsidio humaniores literas tanto profectu didicit, ut a sectæ suæ fautoribus Genevæ ad Theologiæ Studia mitteretur, vivente adhuc Calvino, qui genio suo familiari afflatus vaticinabatur, hunc quondam suæ sectæ tum in cunis vagienti valde exitialem fore. Seligebatur ab ipso Henrico IV. tum adhuc Navarrae Rege, ut Catharinam Sororem suam recenti Calvinii dogmate institueret, quo munere functus, atque eidem a Concionibus esse rogatus, sensim ipsemet de sectæ suæ veritate dubitare incæpit, variisque sermonibus liberius